

- bata simul cum luxu habitus, juxta formam traditam per Petr. Gregor. d. c. 2. num. 6. & Farinac. d. q. 135. num. 95. Meretricia vita probata videtur ac per consequens condemnatio subsequi debet, juxta facti, & Personarum qualitates. Ex hoc enim modo vivendi plures rixæ, contentiones, vulnera & necesse oriuntur: quia meretrices istæ quæ *Ta-fonas* vel *Cortefanas* vulgò dicuntur, plus offerentes admittunt, seu verius neminem dantem excludunt, qui zelotypiæ affectu inflammati, ad rixas, contentiones, vulnera, & necesse pervenire solent, ob quod iudices earum turpitudinem compescere tenentur, hoc præ oculis
- 41 semper habendo, quod pœna pecuniaria in eis nihil prodest, quia quicquid ratione pœnæ ab eis exigitur, ab Amasiis statim recuperant, cum centesima usura, qua de causa detractionis pœna imponi debet: nam exilii in fœminis frustranea est, quia facie cooperta incendentes, effectum condemnationis elidunt.
- 42 De lenonibus eorumque differentiis videndi sunt Doctores, in d. *authent. de lenonibus*, Farin. d. *quest. 144. per tot.* Berlich. d. *dist. parte 5. conclus. 40.* Carp-zov. d. *part. 2. quest. 71.* Ex nostratibus Dominus Gregor. Lopez, in d. *tit. 22. part. 7.* Anton. Gomez, in d. *dist. leg. 80. Taur. num. 73. cum seqq.* Joan. Gutierrez in *pract. crimin. quest. 149. & 150.* Don. Joan. Vela, de *delict. part. 1. cap. 20.* Avendaño, de *exequend. p. 2. c. 6. & Azavedo, in leg. 4. & 5. tit. 11. lib. 8. recopilat.* quæ quia trita sunt, explicatione non egent.



CONTROVERSIA LX.

De sortilegio libidinis causâ intentato per mulierculam, & de fallacia Egyptianæ, ut pecuniam ab ea extorquere possit.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species traditur.
- 2 Sortilegium non sapiens hæresim manifeste, mixti fori est.
- 3 Bulla Sixti V. jurisdictionem Inquisitorum ampliavit, ad crimina sortilegii.

- 4 Ex quo aliqui colligunt, quod iudex secularis de eis cognoscere non valet.
- 5 Constitutionis Sixti Quinti, verba traduntur.
- 6 Constitutio hæc jurisdictionem cumulativam Inquisitoribus tribuit.
- 7 De jure Canonico Inquisitores procedere non valebant in crimine simplicis sortilegii.
- 8 Constitutiones Pontificum interpretandæ sunt quo minus ledant juris canonici sanctiones, & jus tertii.
- 9 Inquisitores in dubio cognoscunt, an sortilegium hæresim sapiat.
- 10 Rei, vel acta Inquisitoribus à Judice seculari tradenda sunt, quoties postulatur ob causam fidei.
- 11 Sortilegia amatoria ex se, non sapiunt hæresim.
- 12 Sortilegia divinatoria, aliquando non sapiunt hæresim.
- 13 Sortilegium, quod in nostra specie supposebatur, hæresim non redolebat.
- 14 Sortilegia omnia de jure civili, pœna capitali plectuntur.
- 15 Mandans fieri sortilegium eadem pœna plectendus.
- 16 Sed acerbitas, hujus pœnæ mitigata consuetudine reperitur, ita ut arbitraria pœna sit.
- 17 Expenduntur jura, hanc mitigationem comprobantia.
- 18 De majori ad minus valet argumentum in penalibus.
- 19 Mandantes fieri maleficia, mitius puniuntur de jure Codicis.
- 20 Malefici ipsi, etiam mitius puniti eo jure.
- 21 Sortilegi pœna mortis afficiuntur de jure Hispano.
- 22 Signanter utentes sortilegio divinatorio per Hydromantiam, quale est hoc de quo in nostra specie.
- 23 Hydromantia divinatio, quæ sit, remissivè.
- 24 Pœna sortilegii à jure Hispano imposita, per consuetudinem mitigata reperitur.
- 25 Sed limita nisi mors, vel aliud simile damnum sequatur.
- 26 Sortilegium fecisse jactans, mitius punitur.

- Confessio extrajudicialis, non facit delictum, nec immutat veritatem. ibid.
- Sortilegium mandans absque dolo, vel per simplicitatem, mitius punitur.
- Incipiens sortilegium facere, si non per fecerit extraordinaria pœna tenetur.

Malefici

- 29 Maleficium non hostile, non punitur pœna ordinaria, licet pervenitur ad actum proximum.
- Atrocissima tantum crimina puniri ex affectu, ad actum proximum deducenda non secuto effectu. ibid.
- 30 Decisio Aulæ.



VLIERCULA quædam ardebat vitum, cujus concubinarum obtinuerat, amore illius accensa, seu verius cupiditate donorum, quæ jam gustaverat, stimulara consuluit, vetulam, *Egyptianam* (ab Italis *Zingare* nuncupantur, inter Hispanos *Gitanas*.) Quæ remedium efficax spondit, & ad explorandam voluntatem Amasii erga illam, emere folium papyri iussit certis requisitis in emendo observatis, die ab ipsa assignato. Folium *Egyptiana* recenter emptum servavit inter ubera, & auti non modica quantitate accepta, involutam in linteo pariter servavit. Ad habitaculum mulierculæ reductis, in puteo linteum, quo aurum involutum videbatur projecit, & ex eo aquam haurire iussit, qua missa in pelvium noviter emptam folium simile empto, in quo nihil depictum apparebat immisit, & statim ac madefactum remansit, vixæ fuerunt in eo imagines viri fugientis, & fœminæ subsequens, confusæ delineatæ, ex quo conjectavit, nunquam virum illum ad similes amores reverteratur. Hæc in admirationem, usque ad animi fœrmæ deliquit, mulierculam rapuere: sed vana quidem, & per calliditatem atque fallaciam *Egyptianæ* facta fuerant: nam folium emptum reservando aliud in eadem parte positum supposuit, in quo imagines depictæ jam erant, alumine in aqua liquefacto, ita ut nisi submergatur in aqua, apparere non possint. Auri verò summa, quam in puteo ejicere simulavit, sibi reservata, in eodem linteo filicem involutum projecit, quod puteo inspecto, evidenter apparuit. *Egyptiana* sibi fuga consuluit, Meretricula capta fuit, & confessæ ingenuè, deceptam se agnoscendo, dubitabatur quæ pœna essent plectendæ.

Ad quod imprimis supponendum venit, quod sortilegii crimen dum hæresim manifestè non sapit, mixti fori est, ex doctrina Abbatis, in cap. 1. de sortilegio, quem sequuntur Paul. Grilland. eodem tract. quest. 11. num. 4. Julius Clarus, in

pract. *Sharefs*, num. 25. Covarruv. var. lib. 3. cap. 3. num. 1. Simancas, de *Cathol. institut.* 52. num. 2. cum sequentibus. Scaccia, de *jud. lib. 1. cap. 12. num. 22.* Didacus Perez, in *leg. 9. tit. 1. lib. 8. Ordin. in glos. vers. quo sit, ad fin.* Bobadilla. lib. 2. polit. cap. 17. num. 74. D. Joann. Vela, de *delict. part. 1. cap. 34. num. 6.* Martin. del Rio, *disquis. magic. lib. 5. sect. 12.* Marra de *jurisdic. part. 2. cap. 12. num. 10.* Farin. quest. 8. num. 132. & 156. Petr. Caball. cas. 223. num. 57. cum sequentibus, Torrellanca, de *jur. spirit. lib. 5. cap. 3. numero 18.* & de *Mag. lib. 3. cap. 9. ex numero 25.* Aviles, in *capit. Prætor. cap. 53. verb. castiguentur.* Parlador. rer. quotid. in *sesquicent. differ. 9. §. 2. n. 8.*

Et licet Sigismundus Scaccia, d. *dist. cap. 12. num. 53.* & Casar Carena, tract. de *Offi. sanct. Inquisit. part. 2. tit. 1. §. 16. num. 147.* dispositionem hanc juridicam agnoscendo, teneant quod de jure novissimo per constitutionem Sixti V. Inquisitores privativè cognoscunt, de omnibus sortilegiis, ea adhibita ratione quod Summi Pontifices semper solent concedere Jurisdictionem privativam Inquisitoribus. Hoc, meo quidem iudicio, repugnat verbis ipsius Constitutionis, quam ad litteram adducit Pater Diana, part. 4. *resolut. moral. pag. mihi 306.* in cuius §. 6. hæc verba habentur: *Tam Episcopi, & Prælati Superiores, ac alii ordinarii locorum, quam Inquisitores hereticæ pravitatis, ubique gentium deputati: etiam in plerisque ex his casibus, antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirent, & procedant, atque in eos severius Canonice pœnis, & aliis eorum arbitria animadvertant.* Quomodo enim dici potest, quod privativam jurisdictionem concedat summus Pontifex, quando eam cumulativam expressè participat? Quod enim in hac parte constitutionis decernit est, quod prohibitio procedendi Inquisitores in crimine sortilegii non hæreticis contenta, in c. *accusatus*, §. *sanè*, de *heret. in 6.* de medio tollatur, ita ut jam in omni sortilegio Inquisitores procedere valeant, quod antea facere non poterant, ut latè probat Barbosa in *collect. d. Text. num. 18. cum seqq.* & sic nostram sententiam post constitutionem Sixti V. teneat Pater Frago, de *regim. reipub. Christ. p. 1. lib. 2. disp. 4. §. 5. num. 10.* Thomas del Bene, tract. de *immunit. Eccles. part. 2. c. 10. dub. 1. sect. 1. num. 5. & 22.* Fermolin, qui Inquisitor

quisitor erat, in c. cum generale 8. de for. compet. g. 8. num. 8. nec ausus fuit negare Diana, d. tom. 4. tract. 7. resol. 10. in princ. Imò ipse Carena sibi contrarius hanc sententiam firmaverat *ibid.* §. 15. num. 140. Neque enim verum est quod respectu Iudicum secularium privativa concessio censeatur; nam si hoc ad consuetudinem reducendum sit, ut verbum solet, ab eodem Carena appositum significat, raro aut numquam verificari potest, quia summi Pontifices non solent concedere Inquisitoribus jurisdictionem, nisi in causis fidei, quæ merè Ecclesiasticæ sunt: solum namque ex causis mixti fori, præter hanc sortilegii, in crimine nefando quoad Regna coronæ Aragonum concessa reperitur per Clementem VII. & quoad Lusitanas Provincias, per Pium IV. & Gregorium XIII. ut cum Castro Palao, Moura, Barbosa, Henriquez, Narbona, Salcedo, Diana, Carena, & Salesles, dixi tom. 2. de regim. Val. cap. 7. §. 3. num. 8. Et hæc concessio, non solum cumulative fuit, ut praxis inconcussa demonstrat, verum Inquisitores procedunt cum interventu Regentis Cancellariam Regiæ Audientiæ, ut *ibidem*, dixi, qui cum magistratum gerat seculare, non admittebatur si jurisdictionis privativæ concessa esset. Et cum hæc constitutio non contineat clausulam privativæ concedentem jurisdictionem Inquisitoribus, interpretanda est, ita ut non lædat dispositionem juris, per quam cumulative pertinebat ad laicum, & Ecclesiasticum, cap. 1. de consuet. in 6. Chassancus, Tiraquellus, Menochius, Surdus, & alii apud Barbof. in collect. dist. Text. num. 19. Nec Pontifex præjudicat tertio, nisi in expressis Text. in lege 2. §. merito, & si quis à principe, ff. ne quid in loc. publ. cap. quamvis 8. de rescript. in 6. *ibid.* Barbof. num. 5.

9 Licet cum eodem Carena teneo, quod in casu dubio, ad Inquisitores spectat cognitio an sortilegium hæresim sapiat ut cum Freitas, Diana, Leone, & Caballo docet, n. 148. Quamquam plures contrariam opinionem tucantur. Sed nostra confirmatur ex praxi communiter recepta in Hispania, tradendi quoscunque reos, & acta quoties pro causa fieri ab ipsis postulatur, absque alio examine, vel cognitione; ut cum Solorzano, Tonduto, Carena, & Pareja, scripsi, dist. §. 3. num. 6. Cum autem sortilegium amatorium, quale in nostra

specie desiderabatur à mulierecula, secluso pacto expresso cum diabolo, ab usu Sacramentorum, vel sacramentalium, & deprecatoria Dæmonis invocatione, hæresim non sapiat, ut docent Eimericus, in Director. part. 2. quest. 4. Peña, in comm. ad dist. quest. §. qui dedi pocula. Scaccia, de jud. dist. cap. 12. numero 39. Farin. dist. quest. 20. num. 80. Caball. dist. cas. 223. num. 25. Torreblanca, de mag. dist. lib. 3. cap. 8. numero 13. Ricc. in prax. for. Eccles. resol. 424. numero 11. Carena dist. tit. 12. §. 6. num. 48. Neque divinariam quod facere finxerat Ægyptiana cum tenderet ad percipiendum id quod Diabolus naturaliter scire poterat, vel conjectare ob ingenii acumen, longam experientiam, signa externa, & cognitionem morum dicti viri, ut cum Emerico, Peña, Scace, Suarez, Farinac. del Rio, & aliis docent Torreblanca, de mag. d. cap. 9. num. 26. cum segg. Acofia de confess. folicit. qu. 5. num. 34. Sesse, decis. 468. num. 18. tom. 4. Carena, ubi prox. §. 10. num. 61. clarè sequebatur quod Aula procedere potuit. Quia causa ab ea prævenerat, nec ab Inquisitoribus postulata ob suspicionem hæresis manifestam.

His positis, leg. duodecim tabularum jam hæc prohibita repetiuntur, ut ex leg. 54. probat Balduin. ad leg. Rom. in dist. leg. 54. De jure civili sortilegia cuiuscumque generis sint, pœna mortis & bonorum confiscatione puniti probat Text. in l. nepos l. multi, si excepta, & l. eorum, Cod. de Malefic. & Mathem. l. 1. & tot. tit. Theodos. eod. tit. si ve ea faciens, si ve ea mandans fieri dicatur, ut docent Paul. Grillan. ubi supra, Clar. d. §. hæresis ad fin. num. 25. Menoch. de arbitrar. ca. 288. num. fin. Farin. d. quest. 20. num. 88. Petrus. Gregor. d. lib. 34. cap. 15. num. 3. Caball. d. cas. 223. num. 49. & 50. Torreblanca, dist. lib. 3. de mag. cap. 13. & de jur. spirit. lib. 15. cap. 11. ex num. 11. Berlich. practicabil. concl. part. 4. concl. 5. n. 17. & 34. Carpov. in prax. crimin. part. 1. quest. 8. num. 47. cum segg. Fragofo, d. disput. 4. §. 6. num. 31. & segg. Quorum omnes, deimpto Carpovio, tenent, quod hæc pœna in praxi recepta non est, sed de generali consuetudine mitiganda venit, ita ut pœna arbitraria sortilegia facientes puniantur, flagellis, ignominiosa mitra, tiremibus, exilio, vel carcere juxta personatum, & factorum qualitates.

Pro

Pro qua pœnæ mitigatione expendi potest Text. in l. 3. §. 2. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. ibi: sed ad id quod amatorium appellatur. Quo Marcianus dum de veneficis tractat, docet solum notari ea lege quod hominis necandi causâ datur. Melior Text. in l. si quis aliquid 30. ff. de pœn. quo Modestinus sic respondit: si quis aliquid fecerit, quo leves hominum animi superstitione numinis terrerentur, Div. Marcus hujusmodi homines in insulam relegari scripsit. Et licet superstitione de qua Modestinus, de inducentibus novos ritus, novæque religiones, communiter interpretari solet Dionys. Gothofred. *ibid.* ad ceteras superstitiones extendit: sed dato quod de eo tantum genere loquatur Consultus, si relegatione majus crimen punitur, clarè sequitur, quod minus delictum mitius puniendum est, juxta Text. in l. prospiciendum, ff. de pœn. cum vulgat. Argumentum saltem de majori ad minus elicitur, quod in jure validum est, Text. in l. in suis, ff. de lib. & post. l. nec, in ea 22. ff. ad leg. Jul. de adulter. pluribus Barbosa, loco 77. num. 1. Id ipsum resultat ex d. l. nullus, C. de Malefic. & Mathem. quæ est eadem cum l. 1. C. Theodos. eod. tit. ibi: & illum in insulam deportando, post ademptionem bonorum, qui cum advocaverit suscipiens vel pramissis. Loquitur enim Imperator de Aruspice ad ædes privatas causâ superstitionis accedente, & in eum imposita pœna mortis, & confiscationis, in suadentem, vel pretio mandantem, pœnam deportationis tantum statuit, ut notat Berlich. d. concl. 5. n. 94. & 96. sic similiter, in l. fin. Cod. Theodos. eod. tit. ibi: deportationis pœnam excipiant. Loquendo de ipsis Mathematicis, & maleficis, qui civitates non derelinquant, in eadem reprobatâ arte persistendo, ut Jacob. Gothofr. *ibidem* explicat: ex quo clarè convincitur, quod non semper pœnâ mortis in eos animadvertetur, sed sæpius mitiori pœna.

De jure nostro Hispano pœna mortis imposita reperitur pro quocumque maleficio, ut probat Text. in leg. 3. tit. 23. part. 7. & in l. 6. tit. 3. lib. 8. recopil. quatum dispositiones ad unguem observari jubentur, in l. 9. tit. 1. lib. 4. Ordin. leg. 5. tit. 1. & leg. 8. tit. 3. lib. 8. recopil. Sed notandum ad rem venit, quod in l. 1. dist. tit. 23. part. 7. & in dist. leg. 6. tit. 3. lib. 8. recopil. hæc verba habentur, dum sortilegiorum genera, quibus similis pœna statuitur, enumerantur, ibi: O catan en

agua, o en cristal, o en espio, o en espada, o en otra cosa luciente. Sub quibus verbis sortilegium divinationis per hydromantiam expressum reperitur, & sub dictâ pœna reprobat. De quo modo divinationi per aquam plura tradunt Petrus Gregor. dist. lib. 34. syntag. cap. 3. num. 4. Martin. del Rio, de disq. magicar. lib. 4. c. 1. qu. 6. sect. 3. Torreblanca, de magia lib. 1. cap. 20. n. 5. & de jur. spiritual. lib. 8. cap. 17. per tot. verum ista legum nostrarum acerbitas, mitigata est ex generali consuetudine utriusque fori, ut docent Didacus Perez. in d. l. 9. ad fin. Bernard. Diaz, in prax. crim. cap. 107. ubi Salcedo Bobadilla, d. lib. 2. polit. c. 17. num. 74. D. Joan. Vela, d. p. c. 34. n. 7. Joan. Gutier. de delict. g. 18. n. 8. Torreblanca, de mag. d. lib. 3. cap. 14. n. 3. & de jur. spirit. lib. 3. c. 11. n. 58. 66. & 71. ita ut fustigentur, cum mitra extrahantur, in scala patibuli melle inuncti apponantur, in exilium, vel in carcerem perpetuum mittantur. Quod intelligendum est, dummodò nec mors hominis, nec aliud damnum grave sequatur, ut prudenter limitant Far. d. q. 20. n. 102. Gutier. d. g. 18. n. 13. Torreblanca, d. c. 11. n. 75. Berlich. d. concl. 5. n. 30. in nostra specie nullum damnum tertio subsequitur fuit: Quia licet, si ad finem referatur, ut plurimum mulierecula sortilegium amatorium, quærebat, quo amor inter eam, & Amatum revivisceret, sed neque id ad effectum deductum fuit, etiam per actum remorum; ob quod nulla pœna digna videbatur, juxta Text. in l. cogitationis, ff. de pœn. Si verò ad id quod effectum est, divinatorii sortilegii per hydromantiam, speciem præferebat, sed reverà neque hoc fuit peractum, quia Ægyptiana eam decipiendum solum fallaciam exercuit, prout moris est in ipsis: & si fecisset, non versabatur circa ea quæ diaboli potestatem excedunt, cum non alicujus futuri contingentis eventum divinare voluissent, sed notitiam habere voluntatis hominis deditissimi ad venereas voluptates, quæ à Dæmone cognosci poterat, exterioribus signis, acumine ingenii, vel aliis conjecturis diuturna experientia perceptis. Ex quibus resultat, quod Ægyptiana, ut plurimum tenebatur de jactantia sortilegii, quæ pœna extraordinaria punitur, cum deficeret corpus delicti; sic aliis relatis tradit Carena, d. tit. 12. §. 20. n. 171. Quia ut plurimum resultabat confessio extrajudicialis, se fecisse sortilegium, quod non fecerat,

cerat; & per eam immutari non poterat veritas, *leg. cum falsa*, & ibi Bartol. ff. de jur. & fact. ignor. Socin. jun. *conf. 112. num. 2. cum segg. vol. 1. Menoch. conf. 91. num. 38. conf. 745. num. 26. & conf. 657.*

27 n. 6. nec fieri delictum quod jure delictum non sit, pluribus Giurba, *conf. 16. n. 11.* Quare ex hoc condemnari non poterat, nisi ratione mali exempli, vel furri subsequuti, quod poenā extraordinariā puniri probavimus, *sup. contr. 36. n. 3. cum segg.* Muliercula verò quæ in effectu lenocinium quærebat, non fortilgium; licet ab Ægyptiana decepta, consensum præbuisse videbatur ad fortilgium faciendum, non dolo expresso egisse apparebat, sed superstitioni consensisse per simplicitatem, & ignorantiam, culpabilem tamen, mitiori poenā puniendam juxta doctrinam Far. *dict. quæst. 20. n. 100. cum segg. Carena, d. p. 2. tit. 1. §. 11. n. 62.*

Quibus adstipulatur, quod incipiens fortilgium facere, si non perfecit, poenā extraordinaria tenetur. Ut cum nostro Cantera, & aliis probat Carena, *d. tit. 12. §. 29. n. 236. cum segg.* Ob quod, licet concedamus, quod muliercula fortilgium amatorum fieri mandasset (nam Divinatorium, vel Hydromanticum, è fallacia, & calliditate Ægyptianæ ptocefferat) duplici ex capite

mitius punienda erat: nempe, quia mandans in hoc crimine non punitur eadem poenā, ut dixi n. 19. & quia perfectum non fuit, licet deventum ad actum præbulum criminis ab ea quæsit. Nam nullatenus versabamur, circa crimina atrocissima, quæ ex affectu eadem poenā puniri possunt; etiam effectus non sequatur, ut latius disserui *cont. 32. ex n. 2.* Neque in maleficio hostili, quod puniri eadem poenā non sequuto effectu tenuit Carena, *d. tit. 12. §. 34. n. 276. cum sequentibus.*

Ex quibus decusum fuit in Aula quod meretricula condemnaretur ad poenam exilii per sexennium, & centum aureorum. Ægyptiana verò in processu contumacialis, ad verberandum, & reclusionem perpetuam, sententia lata anno 1666.

Huc usque Controversias de re criminali exaraveram, munus Præfeti Regiæ Domus, & Curie obtinendo, sed die 29. Octobris anni 1668. promotus ad supremum Senatum Novi Orbis, calamus posui, quoad causas spectantes ad supremam Aulam Criminum, peritiori rogando, quod ea quæ deficiunt suppleat, & si quid in his erratum inveniet, benignè corrigat: omnia sub correctione sanctæ Mattis Ecclesiæ supponendo.



PARS

PARS ALTERA
DE RE CRIMINALI,
SIVE
CONTROVERSIARUM FORENSIUM,
juxta Decisiones Supremi Senatus
NOVI ORBIS.

CONTROVERSIA LXL

De Pretore negotiante in Provincia sibi commissā, cum enormissima jactura subditorum.

SUMMARIVM.

- 1 Facti species traditur.
- 2 Indorum dictis deferendum non est in re gravi, ex innata facilitate, atque perfidia.
- 3 Ab Indis juramentum exigere periculosissimum censetur.
- 4 Interesse habenti in causa, credi non debet.
- 5 Municipis in causa municipii, testes idonei non sunt.
- 6 Abbas sive superior, quamvis admittatur ut testis in causa Ecclesiæ, sive Monasterii, fallit quando gessit officium Procuratoris ejusdem.
- 7 Ut Pretor teneatur de crimine socii, seu familiaris, debet constare de ista qualitate.
- 8 Pretor ex crimine sua familia, solum tenetur ad poenam pecuniariam, & non ultra.
- 9 Negotiatio toto jure prohibita reperitur Pretori, vel judici in Provincia sibi commissi.

D.D. Laur. Matthæu, de Re Crim. P. II.

- 10 Proconsul, sive quilibet alius in officio constitutus, solum potest emere in Provincia; necessaria a victum.
- 11 Contractus cujuscumque officium Judicis obtinentis, de jure improbantur, absque Principis licentia de jure Codicis.
- 12 Jure Hispano reprobata negotiatio Judicum atque Magistratum reperitur.
- 13 De jure Indiarum enixe repetita est eadem prohibitio.
- 14 Probatio negotiationis in Magistratus seu Judices Indiarum, privilegiata reperitur tanquam crimen repetundarum.
- 15 Negotiatio peccato proxima.
- 16 Poena Magistratum seu Judicum negotiationem exercentium, remissiva.
- 17 Quidquid in Provincia sub specie auctoritatis publicæ, & palam fit, de mandato Prætoris fieri censetur.
- 18 Quidquid fit in Provincia per Prætores expediri debet.
- 19 Conscius est criminis, qui manifesto facinori desinit obviare.
- 20 Præfidi Provincia spectant cura cobibendi illicitas exactiones, violentias, & contractus, ex metu extortos.
- 21 Rei evidentia resultat ex facto ipso de quo agitur.
- 22 Nemo presumitur jactare suum.
- 23 Nimia negligentia punibilis est in Magistratibus.

Pp 24 Nequi